



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructæ

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

450. Quid possit Legatus apostolicus circa reservationem pensionis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)



*Questio 447. Qualiter justificanda causa reservata ab Episcopo pensionis, intellige talis, qualem, & in casu, in quo is eam imponere potest?*

**R**espondeo: Non defertur in hac assertioni Ordinarii, siue non sufficere assertionem Episcopi dicentis, causam legitimam intervenisse in reservatione pensionis à se factâ; sed debere de hoc aliunde constare, seu justificanda causa aliunde per extrinsecas probationes. Barbof. *juris Eccles. l. 3. c. 11. n. 56.* ex Gratian. *discept. for. c. 617. n. 8.* Card. de Luc. *de pens. d. 41. n. 2. & d. 40. n. 1.*

*Questio 448. An pensionis reservatio facta per Episcopum (in casibus, in quibus, & modo, quo ea per illum constitui potest) egeat confirmatione Papæ?*

**R**espondeo: Facta per eum reservatio pensionis, si tenet, non eget confirmatione Papæ; si verò non tenet, non vult Papa eam approbando & confirmando quodammodo dare occasionem, ut impostèrum Ordinarii perperam faciant iniquas provisiones, & pensionum reservationes. Hinc ex inveterato Curie stylo Papa nunquam concedit confirmationem provisionis aut reservationis pensionis factæ per Ordinarium; sed solum concedit novas provisiones beneficiorum, & novas pensionum reservationes scholaribus pauperibus. Gonz. *gl. 5. §. 5. n. 30. & seq.* ex Rebuff. *in pr. rit. de nova provis. n. 14.* Addit tamen Gonz. *n. 33.* quòd nova illa provisio & reservatio pensionis fit ferè quædam confirmatio facta per Episcopum reservationis, sicut in effectu: pro quo citat Put. *decis. 308. n. 2. l. 1.* Sic etiam, inquit Ventrigl. *to. 2. annot. 11. §. 1. n. 8.* in praxi servatur, Episcopum reservare pensionem indifferenter, moderatè tamen; sed pro expeditione & Bullis recurrendum ad Sanctissimum, quæ Bullæ in signatura, & dein pensio præjudicat successori. Advertendum autem est, quòd Ordinarius tantum nominat pensionem, & illum, ad cujus favorem reservatur; & in signatura expediuntur literæ. Non potest tamen ipse Ordinarius Bullas reservationis relaxare, & concedere, & dein petere confirmationem à Papa; hoc enim faciendo Papa non solet confirmare, sed solum contra factum Episcopi seu Ordinarii providere de beneficio, & pensionem reservare.

*Questio 449. Quid possit Vicarius Episcopi circa impositionem pensionis?*

**R**espondeo: Non posse illum constituere pensionem, nisi hoc ipsum specialiter fuisset ab Episcopo concessum. Garc. *p. 1. c. 5. n. 317.* citans Sbrozium *tr. de Vicar. Episc. l. 2. q. 77. n. 24.* Berivium *conf. 18. nu. 10. vol. 1.* In quo casu specialis concessio non poterit plus, quàm ipse Episcopus in hoc puncto, ut patet.

*Questio 450. Quid possit Legatus Apostolicus circa reservationem pensionis?*

**R**espondeo primò: Legatus de latere idem potest circa constitutionem pensionis ratione sui muneris, seu officii, & legationis suæ, quod potest Episcopus. Garc. *p. 1. c. 5. n. 284.* Azor *p. 2. l. 8. c. 6. q. 2.* Filliuc. *in append. posth. de statu cleric. tr. 42. c. 3. n. 6.* Castrop. *tr. 19. de benef. d. 1. p. 11.* P. Leuren. *Fori Benef. Tom. III.*

§. 2. n. 5. Siquidem idem juris habet talis Legatus in provincia sibi commissa, quod Episcopus in sua Diocesi. AA. ijdem cum Gamb. *de pot. Leg. l. 6. n. 77.* & Abb. *in c. 1. de off. leg.* nec minùs quàm Episcopus dicitur Ordinarius. Unde jam inhærendo sententiæ Loterii & Azoris, imponere poterit ex causa legitima pensiones ipsis beneficiatorum personis, non autem beneficiis, nisi fortè à Papa ad hoc acceperit facultatem specialem. Azor *loc. cit.* Poterit etiam citra talem specialem facultatem eas imponere beneficiis eo modo ac ordine, ex iisdem causis sicut Episcopus alius in sententiâ aliorum, adscribentium eam potestatem Episcopis. Id ipsum verò non poterit, nisi in iis beneficiis, quæ ad illius spectant collationem, seu quæ ipse conferre potest (intellige etiam concurrenter ad Episcopum) qualia sunt omnia illius provincie beneficia Papæ non reservata, ut Castrop. *loc. cit.* Secus est in iis, quæ ad illius collationem non spectant. Garc. *loc. cit. n. 285.* Azor *loc. cit.* Ventrigl. *to. 2. annot. 11. §. 1. n. 5.* nam reservata Papæ, sicut conferre nequit, ita nec eis imponere pensionem. AA. ijdem citatis Gig. *de pens. q. 6. n. 19.* Zecho *de benef. & pens. c. 11. n. 5.* Idque etiam, etsi aliàs specialem à Papa facultatem haberet recipiendi resignationes, & conferendi beneficia cum reservatione pensionum, ut expressè Azor *loc. cit.* Porro quod hic dicitur de Legato à latere, idem tenendum de Legato seu Nuncio misso cum potestate Legati à latere. Filliuc. *loc. cit.* citans Gig. *q. 8. n. 18.* Cuchum *in institut. parvus l. 2. tit. 8. §. ante omnia.*

2. Respondeo secundò: Legati alii missi vel etiam nati, quemadmodum ex vi legationis suæ (dico: vi legationis suæ, nam quatenus Archiepiscopi vel Episcopi sunt, poterunt id in suis Archiepiscopibus vel Diocesisibus sicut alii Episcopi) ita nec citra specialem commissionem imponere possunt pensiones. Garc. *loc. cit. n. 287.* Azor. *l. c. q. 4.* Castrop. *l. c. n. 5.* Quin nec ut Azor *cit. q. 4.* inhærendo suis principiis, imponere eas poterunt beneficiatorum personis, dum beneficia conferre non possunt. Quòd si autem potestatem hanc conferendi beneficia, quam de se non habent, haberent specialiter à Papa, an possent eo ipso imponere pensiones, qualiter Episcopi eas imponere possunt? Responderet Azor, *l. c. q. 3.* non posse eos adhuc imponere pensiones, sicut id possunt Episcopi, quia hi potestate ordinaria conferunt beneficia, dicti autem Legati in eo casu non nisi potestate delegata ea conferant. Quam eandem causam, cur in dicto casu nequeant Legati imponere pensionem, assignat Gig. *de pens. q. 6. n. 1.* apud Garc. *l. c. n. 291.* quos proinde perperam pro se citat Castrop. ut mox patebit ex ejus doctrina. Distinguit ipse Garc. *l. c. n. 292.* & affirmat, id eos posse, si dicta potestas conferendi fuit eis concessa simul cum ipsa legatione: secus si ea potestas sit eis concessa separatim à commissione legationis; eò quòd in priore casu ea potestas censeatur ordinaria, ac proinde ut ordinaria regulanda & extendenda. In secundo verò casu sit delegata, ac proinde restringenda, quemadmodum de Vicario Episcopi docuerat Garcias *p. 5. c. 8. n. 41.* & de Legato tradit Gamb. *de off. leg. l. 9. n. 33. & 37.* quòd licet Legatus non sit Ordinarius, sed delegatus in iis, quæ ei competunt ex speciali facultate seu commissione, quando seorsim committuntur, dum tamen in literis suæ legationis simul exprimuntur omnes facultates, & sub una concessione emanantes simul stant & cadunt, & sic



& sic in omnibus censetur Ordinarius. Castropalao tamen *loc. cit. n. 5.* rejecta hac distinctione, tradit absolute, quod, quocumque demum modo hæc potestas conferendi concessa Legato, sive simul cum commissione legationis, sive separatim ab ea, non extendat se ad impositionem pensionis; eod quod pensionum impositio sub collatione beneficiorum non comprehendatur; unde nec Episcopus seu Ordinarius ex potestate conferendi imponere potest pensionem; sed quia à jure est id specialiter ei concessum ex causa pacis & concordia *ex c. de cetero. de transactionibus.*

*Questio 451. Quid circa statuendam pensionem possint inferiores collatores, vel etiam non collatores, puta, compromissarii, iudices, &c.*

1. **R**espondeo primò: Collatores alii Ordinario seu Episcopo inferiores nullatenus statuere possunt pensionem, seu conferre sub reservatione pensionis. Tond. *qq. benef. p. 3. c. 123. n. 9.* siquidem collator ordinarius (comprehendendo etiam hoc nomine collatores Episcopo, & habentibus jurisdictionem quasi Episcopalem inferiores) beneficium sine diminutione conferre tenetur. *c. unica. ut benef. sine diminut. conferantur.* Intelligendo id ipsum etiam de pensione statuta in persona beneficiarii, & non in ipso beneficio, etsi tunc propriè non fiat diminutio beneficii seu fructuum beneficii; quòd autem id possint Episcopi, id specialiter est dictum *q. preced.* in jure illis concessum, adeò que non extendendum ad alios simplices collatores. Porò similes reservationes pensionum à talibus factas non reddere collationem ipsam nullam, eò quòd reservatio pensionis sit quid separatum à collatione, & utile per inutile non vitietur, tradit Tond. *loc. cit. n. 11.* sic decisum inquitens à Rota.

2. Respondeo ad secundum: Sed neque compromissarii, in quos fortè partes compromiserunt, constituere pensionem possunt, etià in persona beneficiarii, & licet partes prius non convenierint de tali aliqua pensione aut aliquo loco illius dando. *Garc. p. 1. c. 5. n. 243.* & ex eo Murga *de benef. q. 3. n. 992.* ubi: quòd conventio de pensione reservanda ne quidem à compromissariis initium habere debeat, sed à Superioris auctoritate, pro quo recitant decisi. *Rotæ in Calagurit. pens. 29. Maij 1595.* in qua (dum partes compromiserant in quosdam arbitros, qui paulò post de licentia Ordinarii, & sub beneplacito Apostolicæ Sedis pronunciarent, adjudicando uni parti portionem, super qua litigabatur, ità ut is quolibet anno solvere teneatur certam tritici mensuram loco pensionis annuæ) resolutum fuit à Rota, impositionem pensionis non fuisse validè reservatam; quia non fuit constituta ab Episcopo, nec de ejus consensu ex rationabili causa; & cum arbitri reservassent sub conditione beneplaciti Apostolici, adhuc non fuisse validam ante adimpletam hanc conditionem; cum conditio non purificata nihil ponat in re, &c. facere etiam pro hac responsione *c. 2. de arbitris.* ait *ibid.* Garcias.

3. Respondeo ad tertium: Neque Superiorem seu iudicem alium inferiorem Episcopo (nisi fortè is ex commissione papali ad hoc haberet specialem facultatem) posse pro bono pacis pensionem imponere, si partes inter se de hoc convenissent, seu approbare conventionem partium de super factam,

etiamsi beneficium penes eum remaneret, seu ei adjudicaretur, qui habet jus in eo. *Garc. loc. cit. n. 348.* & ex eo Murga *loc. cit. n. 995.* juxta dicta *q. preced.* contra Nav. *de simon. conf. 46.* apud *Garc. n. 352.* docentem, posse iudicem talem conventionem approbare, Et certè, si id nequidem Episcopo licet juxta dicta *ibid.* multò minùs iudici inferiori. Secus videtur, si iudex seu Superior, in quem fortè partes liberè compromiserunt, ex officio, sine precedente conventionem simile aliquid provideret seu statueret, scilicet, ut daretur aliquid ratione expensarum, ut à lite recedatur, & pro concordia. *Garc. loc. cit. n. 352. juncto n. 350.* Idem tenere videtur Murga *l. c. n. 998.* ubi ait, posse fieri compositionem in beneficiis dato vel accepto aliquo auctoritate Superioris; secus verò esse, si fiat compositio auctoritate puri arbitri.

*Questio 452. Quid possint monasteria vel collegia circa imponendas pensiones beneficiis sibi incorporatis?*

**R**espondeo: Posse monasterium in Parochia sibi incorporata facere investiri Vicarium reservatà sibi pensione annuà secundum redditum facultatem, tradit Laym. *in c. cum clerici. de pactis. n. 3.* Quin & posse eandem pensionem augeri auctis redditibus parochialibus (intelligi notabiliter & constanter, & nisi ea auctio proveniat ex industria Vicarii) tradit *ibid.* ex Abb. *in cit. c. cum clerici.* Sed, ut vides, non est hac propriè impositio pensionis, de qua hæc, uti constat ex dictis à Lotterio supra, & dictis aliàs de Vicariis.

*Questio 453. Quid possit Superior regularis circa impositionem pensionis respectu beneficiorum suæ religionis?*

**R**espondeo: Posse Prælatum regularem super beneficio manuali alicui religioso obedientiaro suo reservare pensionem aliquam temporariam & manualem, seu amovibilem & tollibilem. *Lott. l. 1. q. 35. n. 41. & 42.* Barbof. *juris Eccl. l. 3. c. 11. n. 61.* dicens: posse quemlibet regularium Superiorem in beneficiis religionis suæ manualibus ex eisdem causis, ex quibus potest Episcopus imponere pensionem, quæ quòad proprietatem non transeat in religiosum, citatque uterque Abb. *in c. nisi essent. de prob. n. 12.* Verùm, inquit *Lott. n. 43.* eas temporarias pensiones tam esse extraneas à natura pensionum propriè talium, ut in nulla sint consideratione respectu regulæ de valore. Sic in specie Magnus Magister Ordinis S. Joannis Hierosolymitani in Commendis suæ religionis spectantibus ad illum, ad favorem religiosorum seu equitum cujusdam ordinis reservare potest pensiones. *Barbof. loc. cit. Card. de Luca, de pens. d. 42. n. 4.* de quo plura infra, ubi de regularibus, an capaces sint pensionum.

*Questio 454. An, & qualiter reservari vel exigi possit pensio ex conventione privata sine auctoritate Apostolica?*

1. **R**espondeo primò in genere: Pensio privata auctoritate constitui nequit. *Card. de Luca, de pens. d. 30. n. 11.* atque ita consensus partis sine auctoritate Papæ nihil præstat *Lott. l. 1. q. 35. n. 66.* Et constituta pensio solà auctoritate privata inter resignantem & resignatarium redolet simoniam, *Card.*